



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Rosa In Hieme**

**Mertz, Martin**

**Antverpiæ, 1627**

Capvt XIV. Humilitas VVilhelmi & Paupertas.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42750**

profecit, maiusque incendium in pectore excitari sensit. Nihil eius respiciebant oculi corporis iuxta & animi, quàm vnicum Dilectum suum, in quem assiduò obtutum suauiter defigere dulce expertus fuit, & coram eius diuina facie ac dulcissima praesentia amoris iubilum decantare iucundum. Nihil in ore audiebatur, nihil in corde dominabatur, quod nõ ex Dilecti amore scaturiginem traheret, aut ardentissimam diuinæ Charitatis flammam redoleret; vbi- que actus laudandi Deum & amore cor inflammandi adeò exercebat, vt continuam ex eo animi eleuationem affecutus, vbi- que Dominum suum praesentem secum ferret, ac totus contemplatione absorptus incederet, mirabiliterque in Charitate proficeret.

## CAPVT XIV.

*Humilitas VVILHELMI & Paupertas.*

**T**ANTAS tamque altas in VVILHELMI magnanimo pectore isthæc solis Christi seruis cognita virtus radices egerat, vt nihil in eo vel minimum facile notare posses, ex quo non insignis humilitatis splendor emicaret. Passim apud plerosque suorum stultus audiebat & habebatur (quem- admodum mundo solemne est sapientiam

E                      Dei

66 VITA WILHELMI ROTHENSIS  
Dei iudicare stultitiam) vt vilis & abiectus  
cōtemnebatur, foedè iniurijs laceffitus cre-  
berrimis: id quod ipse non solùm iustè sibi  
accidere reputabat, partim omni etiam  
maiori ignominia dignum se iudicans, par-  
tim pro Dilecti sui amore, & vel leuiter  
neglecti Numinis pœna, longè grauissima  
ferre vtrò paratus; sed etiam cōtemptu illo  
incurfuque quotidiano tamquam spolijs  
opimis lætatus, hilarem & inuictam ad-  
uersus omnia mentem retinebat. Contem-  
ptores prætereà suos miro amore & bene-  
uolentia profecutus, nullum eis, quacum-  
que ratione posset, benefaciendi studium  
laboremque præterlabi patiebatur. Sermo  
eius erat submissus & placidus, de alijs ma-  
gnificè, de seipso abiectè loquens: incessus  
religiosus, deuotus & simplex: omnium  
membrorum, internorū etiam, moderatio  
singularem animi demissionem redolebat:  
& vt verbo dicam, omnis eius actio erat in-  
signis & profundæ humilitatis instructio.  
Illud præ ceteris excelsam planè humilita-  
tem indicat, quòd etiam à suis intimis in-  
terrogatus & requisitus super donis talen-  
tisque, maximè quæ miraculum saperent,  
à Domino sibi collatis, aliàs iam quasi euul-  
gatis, adeò nihil fateri volebat, vt etiam sua  
suprà quàm æstimari posset attenuando ac  
depri-

deprimendo, planè aliter de se absente, aliter præfente, sentire & opinari homines faceret. Ex hac Modestiae virtute partim emergentem Paupertatem planè Apostolicam ac Norbertinam, inter ipsas graues Babylonicæ proprietatis confusiones, aded sanctè coluit, ac si illam ex prima Ordinis institutione rigida velut ex naufragio seruata soli sibi retinuisset. Vestitum amabat vilem ac pauperem; sic vt de eo asserentem audiuerim eius Magistrum, si sacco rusticè confuto includi potiùs quàm vestiri eum contigisset, & rei vilitatem ipsum nequam animaduersurum, & prætereà magnū ex eo gaudium habiturū fuisse. Quod probauit etiā ijs omnibus acceptandis quæ ei porrecta fuere: qualiacumq; enim essent, vel fordida, vel lacera, vel vilia prorsusque abiecta, grata & hilari mète omnia amplectebatur, ijs ipsis adhuc indignū se reputans.

## CAPVT XV.

*Angelica VVILHELMI Castitas.*

**P**LVRIMA profectò argumēta in VVILHELMI vita deprehendere possumus, è quibus Angelicam eius puritatem concludere liceat. Quid enim quæso illud, quòd puer adhuc in sæculo praua aliorum con-